OPUSCOLI

RACCOLTI DALL' ABATE

DOMENICO CAPRETTA

DI

CENEDA

Volume 38

1



REGINA SINE LABE ORIGINALI CONCEPTA

IN HONOREM

IMMACVLATAE DEIPARAE CONCEPTIONIS

AB

VNIVERSO CLERO VENETO IX CONGREGATIONVM

FERIIS NOVENDIALIBVS CELEBRATAE

IN AEDE PRINCIPE MARIAE FORMOSAE

E PRIDIE CAL. DECEMBRES VSQVE AD VI. IDVS

AN. MDCCCLV.

NONNVLLA CARMINA

LATINA ET ITALICA

CVM INSCRIPTIONE

EDENTIBVS SEXVIRIS CVRATORIBVS

A PATRIMONIO CLERI GERVNDO

VENETIIS

TYPIS LAVR. GASPARI

ANNO MDCCCLV.

VIRGINI OPTIMAE MAXIMAE

MARIAE IMMACVLATAE

DEDICATIO RHYTHMICA.

O Quae ab aligeris novenis Choris
Thureis in caelis colere odoribus,
Nec flosculorum munera despicis,
Ad tuas terrigenae quos aras deferunt,
Optima o Virgo, Mater o maxima,
O decus caelitum, adiutrix hominum,
Primae ab origine maculae nescia,
Quos Tibi numeros quippe rusticulos,
At candidulis editos animis,
Puris ad citharam labellis canimus
Novenae Venetûm Presbyterorum

Secla abhinc septem satae Cohortes,

Secla abhinc septem Tibi dicatae,

Pares nae aligeris novenis Choris,

Thureis qui odoribus Te semper adolent,

Hos modo numeros quippe rusticulos,

At candidulis editos animis,

Quos Tibi audaculi, pia Virgo, inscribimus,

Tuis, o, gratiosis auribus accipe,

Sacrisque faveas benigna vatibus.

AD SANCTISSIMAM DEI GENETRICEM

CVIVS IMMACVLATA CONCEPTIO

INTER CHRISTIANA DOGMATA RELATA FVIT

A D. N. PIO IX. PONT. MAX.

DIE VI. IDVS DECEMBRES AN. MDCCCLIV

ELEGIA

CLERI VENETI IX. CONGREGATIONVM.

Flecte oculos, aurcsque intende, atque accipe, Virgo,
 Quos Tibi devoto fundimus ore sonos.

Iam redit alma dies, caeli qua vertice missam
 Excipit in casto Te vetus Anna sinu.

Ceu bene pasta thymis apis alveare intrat odorum,
 Sic Tu plena Deo viscera matris adis.

O felix gremium, o redolens divina cubiclum,
 Quo cubat Aeterni filia, sponsa, parens!

Motus erat nondum, nondum splendore tenebras,
 Quae chaos obruerant, lucifer expulerat.

At Deus in tacito versabat pectore, matres
 Te electam ante alias, et sine labe fore.

Fiat, ait: praesto est opus admirabile mundi:
Mille ornant terras munera, mille polum.

Sed prae Te, Virgo, quae non vitiata patescunt?
Quin Luna, et mittit Sol quoque tenve iubar.

Post ubi Te innocuam aligerae stupuere cohortes:
Quae est ista? et chorus hic, et chorus ille petit.

Quae est ista, auroram quae vincit, obumbrat et astra?
Utque hostis terret, qui fera bella parat?

Te tandem e caelis lapsuram explorat, et ambit
Insidiis coluber; vana sed orsa movet.

Illico magna potens trivisti colla draconis,
Qui fremuit frendens, evomuitque minas.

Te simul ac nive candidiorem vidit Adamus,
Gestiit, et culpae non memor ipse fuit.

Ni tamen, heu! miseros quae nos iam reddidit omnes,
Incautà pomum carpserat Eva manu,

Mors foret intus adhuc squallentia limina averni;
Forte sed humanis tu quoque mixta fores.

Pugnaci est olim prolatum voce, colubrum
Omne venenifero dente petisse caput;

Atque Deum (ast animus refugit fari absona vero)
Haud unquam veteri Te eripuisse malo.

Quippe severa fuit lex, divi insigne furoris,
Sed lata est homini, non, bona Virgo, Tibi.

Nam tua quî poterat Soboles tum perpeti, ut horae
Puncto inimica fores, et sibi mater amans ?

Quaeque tui memorant animi decus, et decus oris
Symbola, Iordanis quae reperere cycni.

Te sacer ille refert, signo munitus eburno,
Fons nitidi laticis, quem bibit unus amor.

Salva Te ab exitio mediis in fluctibus arca :
Te siccum vellus, dum sola rore madent.

Te rubus igne flagrans, qui non absumitur unquam ;
Stellaque luciferi, quae astra minora fugat.

Te myrrha et platanus referunt : Te palma, cupressus,
Cinnamon et nardus : Te rosa, oliva, cedrus.

Te... quid ego veterum modo vatum oracla recordor ?
Quid, Te quae effingunt, mystica signa noto ?

O tandem species abeant, abeantque figurae !
O sileat ratio, lingua nec ulla crepet !

Immaculata sinum intrasti iam primitus Annae,
Eque sinu existi tu mage cana nive.

Vitales auras ulla sine sorde bibisti,
Puramque in caelum Te tetulere chori.

Sic docet una fides, orbis dictante Magistro,
    Tergemina exornat cui sacra vitta comas.

Qui, Navim Petri quatiant si turbine venti,
    Te vocat, et sedas Tu mare, stella maris.

Quod ter sena retro nequidquam secla rogarant,
    Nunc primum, o pietas!, vox dedit alta PII.

Grande tuum decus ipsa PII divina potestas
    Adseruit, sanxit, per genus omne tulit.

Quot populi gelido degunt, quot torrido in axe,
    Quotque eoa colunt litora, et hesperia,

In vota effusi tantum cecinere triumphum;
    Quin gaudi dederunt labra tenella sonum.

Salve, sancta Parens: salve, intemerata MARIA,
    Cui primi offecit nec levis umbra doli.

Sacra novena Cohors precibus Tibi sistimus, aeque
    Te ut Legio aligerûm thure novena adolet.

En Tibi, quam *Michäel* fulcit tutamine, prima:
    Quaque *Dei Matrem* Te altera honore colit.

Tertia, quae maculae exsortem Te praedicat, usque
    Nomine *Formosae* Te vocat, ornat, amat.

Fortunatique, Hermagoraeque antistitis ecce
    Casta ferens quartus vota maniplus adest.

Pontificem celebrat *Silvestrum* quinta quotannis :
Multa rogans, *Luca* praestite, sexta subit.

Devovet electo se vasi septima, *Paullo :*
Octavae praesunt *Cantius*, et Socii.

Agmen adest nonum : vidên, ut Tibi gaudet adesse ?
Dii *Servatoris* nomen, et acta canit (*).

Hosce benigna Choros, aliosque, aliosque tuere :
Et populum, et proceres pabulo amoris ale.

Da bona, pelle mala, huc illuc quae triste vagantur :
Heu mala, quae incautis mille pericla struunt !

At, quae Christiadûm columen, spesque una vocaris,
Fac, tot in ambiguis ne labet alma fides.

Fac, o, pax tandem redeat, componat et orbem,
Et mare sulcanti flet levis aura PIO.

Ipsa PIVM serva, ipsa fove, auxilioque guberna :
Illius et triplici muni adamante sinum.

Hos modo, Virgo, Tibi, quales sint cumque, dicamus
Incomptos numeros, atque animum, atque animam.

Et petimus voto, ut, vitam cum efflabimus, unos
Et IESVM et MARÏAM vox moribunda sonet.

ADNOTATIVNCVLA

(*) Genuina IX. *Congregationum* nomenclatio est eiusmodi: I. S. Michaelis Archangeli. - II. S. Mariae Matris Domini. - III. S. Mariae Formosae. - IV. Ss. Mm. Hermagorae et Fortvnati. - V. S. Silvestri P. - VI. S. Lvcae Evang. - VII. S. Pavlli Ap. - VIII. Ss. Cantiani, Cantii et Soc. - IX. Ss. Salvatoris; quarum institutio est antiquissima: sex enim primae initium habuere seculo ineunte XII, tres reliquae seculo XIII. De quarum antiquitate, numero, dignitate, iuribus, variisque muneribus, deque earum Collegio, tot privilegiis ditato et aucto, copiose perscripsit anno 1754 ***Flaminius Cornelius***, Senator Venetus, auctor operis eruditissimi *De Ecclesiis Venetiis illustratis*. De iisdem item Congregationibus opusculum edidit anno 1843 praesbyter praeclarae equidem famae, ***Ioseph Cadorin***. Recens vero, anno nempe 1853, in vulgus prolata est Venetiis, stilo italico, *Historia* IX. *Congregationum Cleri Veneti*, Collegio earumdem dicata; quae strictim, aeque ac dilucide et emendatius, ea omnia amplectitur, quae alii antea late et diffuse, identidemque mendose narrarunt: auctore ***Ioseph Cappelletti***, infatigabili viro tot ecclesiastica ob opera in lucem edita cuique noto.

In fine libelli huiusce tum Archipresbyteri, tum Sodales cuiusque Congregationis viritim, ordine litterarum, recensebuntur.

AD ANIMAM

B. MARIAE VIRGINIS

IN IMMACVLATO EIVS CONCEPTV.

ELEGIA.

O una ante omnes, quot sunt, pulcherrima formas,
Quas Deus in tacito versat adhuc animo,

Expectata diu terris, postquam arbore sacra,
Anguis tartarei femina capta dolis

Ausa est, heu miseram! letale excerpere pomum,
A quo sunt nobis omnia nata mala;

Ah! si quid nostri miseret, demittere ab alto
Iam caelo, et rebus, quod potes una, hominum,

Et misero succurre orbi. Quid lenta moraris?
Quin Annae castum laberis in gremium?

Hic te formosum puro de sanguine corpus,
Membraque virgineo plena decore manent.

Ac si te virtus et gloria tangit avorum,
Et placet antiqua nobilitate genus,

Non te poeniteat Davidis de semine natam
Dicier; in mediis sit licet ortus agris.

Ille ursos fertur, fertur domuisse leones,
Nec philistaeûm pertimuisse minas

Tempore, quo Isacidum turmas perterruit omnes
Unus terribili maximus ore gigas,

Qui cum totam aciem nequicquam in bella vocaret,
Ecce puer flavus prodiit in medium.

Non me, neve Deum posthac contemseris, inquit:
Tum fundae praedurum imposuit lapidem,

Quem deinde exsultans ter circum tempora volvit,
(O miros ausus!) inque feri faciem

Coniicit, et fulva Goliathem extendit arena.
Ipse Saul tanto obstupet in puero.

Et tibi, si in sanctae ventrem te immiseris Annae,
Laus erit in proavis hunc habuisse tuis;

Heroasque alios illa de stirpe creatos,
Magnanimos reges, magnanimosque duces,

Quos tecum recoles, maternâ condita in alvo,
Admirans generis grandia facta tui.

Et te laudabunt illi; gaudebunt Iacob
Te sibi vel seram progeniem fieri,

Agnoscetque suam Rachel pulcherrima neptem.
Ah propera, et membris iungere, Diva, tuis.

Neu timeas, ne quod veteri de crimine in illis
Aut vitium, aut macula vel levis insideat.

Nam fibras omnes cordis, cerebrique recessus
Omnes, et sedes atque vias animi,

Quas vetus illa lues solita est contingere, cunctas
Terque quaterque suis tersit Amor manibus.

Virtutumque aderat chorus: et Spes nescia falli,
Et quae Spem numquam non praeit, alma Fides,

Quos comitabatur caelo delapsa sereno
Gratia, stellanti corpora veste tegens;

Quam simul ut vidit venientem letifer anguis,
In stygium sese proripuit barathrum.

Quare age, Iesseis laus accessura puellis,
Spes hominum, felix atque potens Anima,

Advenias bona iam, atque infans pulcherrima fias,
Virgo olim magno digna futura Deo.

MARIA

SVB IMAGINE LILII.

ELEGIA.

Hortus adest: titulus: *Procul hinc, procul este, Profani:*
Hic Amor est. Aliis invius hortus adest.

Vatibus at sacris fas est, duce Numine, inire:
Nulla mora, ingredior: dux mihi sanctus Amor.

Quae mihi se rerum facies pulcherrima pandit,
Perstringensque oculos quae nova forma meos?

Monstrat Amor flores dextra, laevaque hyacinthos,
Serpillum, Casiam, Lilia cana, Rosas.

Hic Engaddi uvae, hic Libani de vertice Cedri,
Cupressusque Sion, Palmaque pulcra Cades.

Florent hic fulvam stillantia Cinnama myrrham,
Et pallens suavi nectare Nardus olet.

Ast alios inter pulcherrima Lilia flores
Aspice, Virginei signa pudoris, ait.

Sanguinis hasce vides per candida Lilia guttas?
Lilia virgineo sanguine tincta vides.

Advolat Aligerûm circum pictis chorus alis,
Deproperant pulcra lilia sumpta manu.

Et certamen habent, florum decora alta recensent,
Et poni cupiunt omnibus ante suum.

Ast alio incedens tacito pede reflectebat
Laetitia, atque Iocus, Gratiaque alma praeit;

Lilium et ostendit, quo non formosius ullum
Edidit, aut edet Hortus amabilius.

Ut beat adspectu! quam non mortale videtur
Germen! ut exsurgit celsius illud humo!

Hoc sibi sanctus Amor, qui lilia pascitur inter,
Eligit, electum ex millibus illud amat.

Nec pudet aut molli lymphas deducere clivo,
Vicinisve umbram texere viminibus.

Hic ver perpetuum est, hic ludit lucidus äer,
Regnat Amor, visus dicere, regnat Amor.

At mihi iam tacitum pertentant gaudia pectus,
Impulsuque aurae barbitos icta sonat.

Moscule, amor Domini, pulcherrime Flosculc, salve,
Lacte, atque intactis candidior nivibus.

Tangere non audent gelidae te nocte pruinae,
  Lucidulo plenum sed tibi rore caput.

Vicino haud tangunt Galaad de monte capellae;
  Non anguis turpi gutture commaculat.

Vitalis tibi succus inest, cunctisque salubris,
  Officit adspectus anguibus ipse tuus.

Ut platano coryli cedunt, ut floribus herbae,
  Florum sic cedit tota caterva tibi.

Vertice curvantur myrthi super impendentes,
  Atque tuos spargunt flore cadente sinus.

Parcite, quem custodit Amor, vos laedere florem,
  Frigora, tu radios comprime, Phoebe, tuos.

Discite vos spirare leves iucundius Aurae,
  Ducere nectareas discite, Rivuli, aquas.

Mirantur Nymphae, Zephyri mirantur, Olympus
  Nescius exsultat, nescia gaudet humus.

Nam meliora latent: Amor at plus cernit, et intus
  Plus aliquid flos hic, quod mage ametur, habet.

De radice ejus flos nempe ascendet, eumque
  Desuper incumbet, et requiescet Amor.

Scilicet haec Virgo est, electa ex millibus una
  Quot sunt, aut fuerunt inclyta Virginibus.

Dicebam : sed Amor foliis se se abdidit imis.
Ite leves venti, dicite adesse diem.

E foliis nostras vox reddita fertur ad aures,
Ite leves venti, dicite adesse diem.

MARIA

SVB IMAGINE FONTIS ET HORTI.

ELEGIA.

Hortule tam felix, Superumque Hominumque voluptas,
Hortule, caelesti, fare age, digne solo;

Fare age, tam pulcrum quis te, quis condidit auctor,
Quisve tuas custos tam bene servat opes?

Ver tibi perpetuum, quovis tu tempore flores
Non intermissa fersque, refersque vice.

Seu gravis arentes exurat Syrius agros,
Seu fundat gelidas Parrhasis ursa nives.

Non tibi commoti nocet inclementia caeli
Horrida, nec duro mixta pruina gelu.

Nec quae secretos tentat vulpecula calles,
Nec laedit foedo te malus ore caper.

Fare age, tam pulcrum quis te, quis condidit Auctor?
Quisve tuas custos tam bene servat opes?

Ah te, si nescis, tua nempe silentia produnt;
Nempe Amor est custos, unus et auctor Amor.

Ille Amor, aeternas qui nutrit pectore flammas,
Fecundo aeterni natus ab igne Patris.

Ille Amor aethereos qui laetus obambulat hortos,
Omnia festivis luminibus recreans.

Ille tibi primum terris, quam severat hortum
Effugiens, nulla praepediente mora.

Cum vetitos cultor decerpit ab arbore fructus,
Letalisque genus fluxit in omne liquor;

Ille homini mala cuncta, tibi bona cuncta precatus
Has iecit sedes, Hortule culte, tuas.

Ac simul ingressus, qua gressus cumque ferebat
Dat flores tellus vix pede tacta novos.

Hic surgit narcissus olens, amaranthus et illic,
Purpureaeque sinu semihiante rosae.

Mixtaque pallidulis se attollunt lilia calthis,
Et ridet laeto laeta genista solo.

Quos Amor intuitus, ridens, heus, crescite, dixit,
Crescite, et in laudes surgite rite meas.

Non fera, vel saevus furtim subreperet Anguis,
(Anguis in indignos, heus, nimis apte dolis!)

Ipse faber mira septem contexuit arte,
Et centum adnectens ostia cardinibus,

Haec affixa legas portae: Procul este profani:
Ostia sunt vestro non adeunda pede.

Sunt haec caelestis purissima gaudia Sponsi:
Iste mea est sedes, Hortulus iste meus.

Ac magis ut placeas, fons hinc, ait, exeat, exit,
Et circum nitidis diffluat uber aquis.

Diffluit; ast illum gemmâ signavit, ut ipse
Unus tam dulces libet Amor latices.

Infremat infernis divus qui praesidet antris:
Vicit Amor fraudes, fataque vicit Amor.

Qua Phoebus devectus equis nitidissimus exit,
Qua fessa occiduis tempora mergit aquis,

Fatali Daemon conspergat cuncta veneno
Conscia decepti crimina facta Patris.

Qui imposito captiva iugo dare colla coegit
Orbem, qui clades, qui fera bella parat,

Una animae pars cara meae, dulcissima Sponsa,
Sponsa, tuum invitus sentiat imperium.

Sentiat, et centum furiis agitatus et ira
Victricem timeat in nova bella ducem.

Qualis Iessaeus magnum processit in hostem
Pastor, quem certo tempore stravit humi

Percussum saxo, tremuit tellus, penitusque reposta
Ictu Plutonis contremuere loca;

Sic mea Virgo potens ultro processit in hostes,
Magna audens solo numine freta suo.

Infremat infernis divus qui praesidet antris :
Vicit Amor fraudes, fataque vicit Amor.

MARIA

SVB IMAGINE COLVMBAE.

IAMBICVM ARCHILOCHIVM.

Ubique sunt pericula,
Ubique circumstant doli.
Venator altis montibus,
Silvisque praedatur feras :
Piscator altis retia
Tendit sub undis piscibus ;
Crudelis Ales improbo
Rostro timendus alites
Sectatur uncis unguibus.
Una at Columba candida,
Quae lacte puro purior,
Magisque pura lilio,
Flocci hostis atros aestimet
Ungues madentes sanguine.
Nam fontis illa vitrei

Puras aquas supervolat :
Hic se ipsa spectans inspicit
Hostem ruentem, et illico
Tutas in undas mergitur.
Virgo una vitales prius
Quam hauriret auras aetheris,
Divini Amoris lucidum
Mirata fontem, subdolum
Delusit hostem, et aridas
Frustrata fauces improbi.
Salve, Columba candida,
Quae lacte puro purior,
Magisque pura lilio,
Da nostra, quaeso, candido
Certare lacti pectora.
O Virgo, salve: candidum
O puritatis lilium,
Tu, quaeso, nostra pectora
Amoris icta vulnere,
Virgo, irriga dulcissimo
Divini Amoris nectare,
Ut colliquescant dulcibus
Divini Amoris ignibus,

Illumque semper quaeritent,
Illumque semper diligant,
Qui vera lux amantium.
At quem tibi non editae
Uni videre contigit,
Post fata saltem perfice
Nos, Te precante, cernere.

MARIA

SVB IMAGINE RIVVLI.

HENDECASYLLABI.

O qui lucidula refertus unda
Blando, Rivule, defluis susurro,
Sic fons perpetuam ministret undam,
Nec te Sol nimio perurat aestu:
Dum tuas meditor referre laudes,
Murmur comprimito, remitte cursum.
Salve, o Rivule, fluminum ocelle,
Salve, amor superûm, decusque terrae.
Te non oceanus, nec auxit imber,
Deus nectareo sed auxit imbre,
Et pura dedit esse puriorem
Gemma huc Aethiopum relata ab orbe.
Te non anguis anhelitu, nec ore
Aut ferae nemorum, aut agri capellae,
Nec frons arboribus cadens, nec ullus
Turbavit pede, saxulisve pastor.

At ripae vario nitent colore,
Seque, ut in speculo, decenter herbae
Adspectant in aquis, caputque tollunt:
Ludunt cum zephyris aquae, adque cursum
Passu illos tremulo incitare gaudent:
Sanctus quin Amor, ut columba, gaudet
Has super placidis volare pennis
Persaepe, et cupido attigisse rostro.
Quid Iordanis ovans revolvis undam
Cunctis fluminibus superbiorem?
Te te Rivulus hic honore vincit.
Hic est fluminis hic origo rivus,
Cujus recreet impetus Dei urbem.
Hic aquam unus habet suaviorem
Suavi nectare, quam aridis labellis
Quicumque ebibit, is repente foedo
Ab sinu excutit incubantem amorem,
Caelestique animum perustus igne,
Terrae turbidulos lacus relinquit.
O queis cor nimis et nimis cremarunt
Flammae sordidulae, venite ad undas;
Undae frigidulae, levate flammas,
Flammae sordidulae, perite ad undas.
At te perpetuo colam, atque amabo,
Dulcis Rivule; fabulosus usque
Vilescet mihi Pegaseius amnis;

Te venam mihi porrigente, de te,
Seu lucem tenebris fugabit Hesper,
Luce seu tenebras dies fugabit,
Versus condiderim elegantiores;
Non quos molliculos Catullus, at quos
Castus Rex cecinit Propheta, eroque
Tanto maximus omnium poeta,
Quanto es maximus ipse rivulorum.

MARIAE PVRITAS SVPEREMINENS.

HENDECASYLLABI.

Ut est candidum in hortuli recessu
Ignotum pecori, attamen Matinis
Non ignotum apibus, favoniisque,
Lilium redolens odore grato;
Ut est candida nix, quae ab axe spissis
Floccis lanea decidit, silensque,
Et succrescit in aggeres tumentes;
Ut est candida, pura ut est columba
Nullo interlita, discrepante naevo
Pennas lacteolas, eburneasque,
Quas in splendidiore fonte vitro
Alis praetrepidans, micansque rostro
Lavat, munditiem suam lavando.
Ut est candida, pura ut est tenaci
Obdurata gelu alpium in latebris
Crystallus solido rigens rigore,

Quae, illinc eruta, molliterque dextra
Daedala artificis polita, candet,
Attactus patitur novos diei,
Et solem bibit, et vomit nitentem ;
Sic est candida, pura sic (quid aio
Pura et candida sic ?) magis magisque
Millies decies magis magisque est
Pura, et candida tota quanta quanta est
Ortu, et moribus integris MARIA.

MARIAE DIGNITAS INCOMPARABILIS

HENDECASYLLABI.

Regale o genus! o Puellularum
Flos! Iudae Domus inclyta, inclytarum
Felix prole domus puellularum,
Quas per secula multa procreavit:
Quo te carmine praedicare possim?
Queis Te extollere laudibus decenter,
Quam sic Rector olympi amans amavit,
Non quantum potis est amicum amicus,
Aut mater bona filiam tenellam;
Sed quantum pote sanctum amare Numen,
Tantum Numine ab ipso amata amanti?
Queis te extollere laudibus decenter,
Quo te carmine praedicare possim?
Nam quod pignus amoris exhiberet
Maius, quam sibi destinare Matrem
Ante exordia temporis futuram!

Vos o, dicite, quotquot estis omnes
In terris homines probatiores,
In caelis Superi beatiores.
Isto pignore amoris ecquod ipse
Ipse, qui dedit, exhiberet ullum
Maius? sic licet illius soluta
Lege, et nescia finium potestas?
Omnino haud potuit. Potest agellis
Cultis, fluminibus vagis, amoenis
Hortis, arboribusque, flosculisque
Terram efferre aliam venustiorem;
Caelum pulcrius aureis creare
Micans sideribus, nova priori
Et virûm cumulare, et Angelorum
Caterva innumerabili; sed ipse
Qui ab se facta iterat potente nutu,
Non potest aliam vel ipse Matrem
Tali effingere Matre digniorem.

MARIA VIRGINVM PRINCEPS.

CANTIVNCVLA.

Mariae sumus in fide,
Puellae et pueri integri:
Mariam pueri integri,
Puellaeque canamus.

Salve, o decus aetheris,
Salve, gloria caelitum,
O Regina, propaginis
Iesseae inclyta Virgo.

Communi voluit Deus
Te unam crimine liberam
Aeternum edere Filium
Absque labe pudoris.

Ut dux virginibus fores
Mater Virgo sequentibus.
Mariam pueri integri,
Puellaeque canamus.

Pro mirum ! numerat suos
  Humanum omne genus patres.
  Aetas nomina quaelibet
  Gaudet noscere avorum ;

At turba inclyta virginum
  Pares haud numerat patres ;
  At per se sine traduce
  Longum vivit in aevum.

Praeclarum o populum, sibi
  Quem sacrum voluit Deus !
  Mariam pueri integri,
  Puellaeque canamus.

Haec est Virginei Chori
  Princeps ; hac duce, virgines
  Adducentur olympio
  Dantes lilia Regi.

Illa et virginibus Deo
  Fuit carior omnibus ;
  Namque huic munera gratiae
  Dedit matris in alvo.

Mariae sumus in fide,
  Puellae et pueri integri :
  Mariam pueri integri,
  Puellaeque canamus.

DIAE SPONSAE ELOGIVM.

ELEGIA

EX CAP. IV. CANTICI CANTICORVM.

Quam tu pulcra, tuae quam splendida gratia formae!
Fulges, ceu nitidis pura columba oculis.

Praetereo, quae longe animum praestantius ornant,
Munera, quaeque intus splendidiora latent.

Flavescunt crocei tibi crines vertice, sicut
Caprarum Galaad per iuga summa pecus.

Utque greges ovium, detonsis forfice villis
Mersavit vitrea quas modo pastor aqua,

Quaeque ferunt teneros fecundo ventre gemellos,
Sic albent dentes rubra per ora tibi.

Coccineam tua labra rubent imitantia vittam,
Et sonat eloquii vis mihi grata tui.

Punicei ut fragmen mali, tibi dulce renident
Ore genae: interius nobiliora latent.

Emicat et collum, veluti celeberrima turris,
Quam David firmis muniit aggeribus.

Innumeri ex illa clypei, parmaeque coruscae
Pendent belligeris arma movenda viris.

Ubera non secus ac quos capra enixa gemellos,
Quique inter laeto lilia nata solo

Exsultim ludunt, et roscida gramina carpunt
Hinnulei, candent pectore bina tuo,

Donec sol totam collustret lampade terram,
Maior et ex altis montibus umbra cadat,

Ascendam montem, quo myrrhae defluit humor,
Collem, quo syrii lacrima thuris olet.

Pulcra adeo tota es, partes sic pulcra per omnes,
Ut labes nullis polluat atra notis.

De Libano, mea Sponsa, veni, neu lenta moreris,
De Libano propera, iam, mea Sponsa, veni.

Quandoquidem insigni cingam tua tempora serto,
Quod tibi conspicuum perpetuumque decus.

Intactos legi flores in vertice Amanae,
Nec non Hermonis Senariique iugo,

Et nemorum propter latebras propterque leonum,
Pardorumque atras, horrida lustra, domos.

Me, dilecta Soror, flavis de crinibus unus,
Unus deque oculis, candida Sponsa, tuis

Me coepit, fixitque acri mea corda sagitta,
Et mea inextincto pectora ab igne calent.

O quam pulcra sinu, tibi quam pulcra ubera, quam illis
Pocula fragrantis deteriora meri!

Longius ipsa tuos redolent unguenta per artus,
Indica quam messis munera odoriferae.

Ut favus, hyblaeo stillant tua labra liquore,
Et lacte et dulci vox tua melle fluit.

Non aliter suaves spirat tua vestis odores,
Quam exusta incensis thura sabaea focis.

Undique conclusus tuus hortus, et undique septus
Fons tuus, et puris semper amoenus aquis.

Hic primos late ramos, et brachia tollens
Surgit quaeque suis arbor odora comis;

Punica mala rubent, et curvis pendula ramis
Poma tument, cupidà poma legenda manu.

Hic Cyprus, et Nardi crescit bene olentis arista,
Quaeque halat gratis Fistula aromatibus,

Purpureusque Crocus, Panchaeaque cinnama fragrant,
Omniaque in Libani consita ligna iugo.

Atque alöe, et fisso lacrymata e cortice myrrha;
Optima quaeque illic balsama semper olent.

Fons nitidus variis halantes floribus hortos
Fecundas rivo lene fluentis aquae;

Fertilibus puteus vivisque uberrimus undis,
Quae Libani magno murmure monte cadunt.

Surge, Aquilo, perflaque, Auster, felicibus hortum
Flabris, atque auras suavior afflet odor.

MAGNIFICAT

SIVE CANTICVM MARIAE V.

CARMEN ALCAICVM.

Nutu Regentem sidera laudibus
Efferre magnis aggredior : mihi
Cor gaudio exsultat, salutem
Ferre Deo veniente terris.

Hanc ille ab alto dum famulam polo
Vidit modestis moribus, et nihil
Inesse fastus, in pudicam
Illico deproperavit alvum.

Astra hinc rotarit dum polus aurea,
Vastumque terras ambierit mare,
Vocabor in terris per omnes
Progenies hominum beata.

O quot potentis dextera Numinis
In me peregit prodigia ! O Dei
Nomen tremendum, perque cuncta
Secula terrigenis colendum !

Quicumque fida mente timent, bonum
Sensere nullo non sibi tempore,
Atque ultimi noscent nepotes
Ingenita pietate largum.

At non scelesti, non ita, turgidae
Nam vota mentis disiicit; impios
E sede detrudit tyrannos,
Atque humiles solio reponit.

Ille et potentes divitias viro
Superbienti providus abstulit,
Mentisque mortalem modestae
Divitiis miseratus auxit.

Exempla natis nunc quoque in Isaci
Tam mira prodit; iamque sub asperae
Iugo gementem servitutis
Aggreditur relevare gentem.

Quaecumque priscis patribus, et suo
Promisit olim Thariadi, pius
Iam praestat, antiquumque foedus,
Quod pepigit, memor ecce firmat.

AD COR MARIAE MATRIS.

VOTVM.

O nova progenies, o formosissima rerum,
O Virgo, o nova lux, o sine labe Anima!

Et cui sorte datum, ne tot de millibus unam
Antiqui sceleris laederet atra lues;

Sive refers Vitem, seu Florem, sive Columbam;
Sive Sion, Fovea, aut diceris Amnis, Ovis;

O quacumque venis sub imagine, candida tota,
Candida lacte magis, candida luce magis;

Si Te dius Amor caelestibus inserit astris,
Non commune genus dissimulare potes.

Sed luctu est nobis, Tibi qui fuit ortus honori;
Ergo cognati sanguinis esto memor.

Occidit una domus, sed nos pressere ruinae;
Ergo cognati sanguinis esto memor.

Mergitur una ratis, sed nos tantum obruit unda :
  Ergo cognati sanguinis esto memor.

Esto memor, Virgo, et longum miserata laborem,
  Si Tibi honor Dominae est, cor quoque Matris habe.

LODI A MARIA VERGINE IMMACOLATA

CANZONE.

Dalle stelle, ove tu stai,
Volgi i rai, l'orecchio inchina,
Ed ascolta, alma Regina,
Le tue lodi in questo dì.

Oggi fausto a noi ritorno
Fa il bel giorno, in cui dal cielo
Scese al mondo, e l'uman velo
L'alma tua fra noi vestì.

Alle sfere ancora ignoto
Era il moto: e il Sol, l'Aurora
Non avean co' raggi ancora
Rischiarato il prisco orror;

Quando l'alta eterna Idea
Prevedea te sola eletta,
Bella Vergine, concetta
Senza macchia, e senza error.

Ad un cenno onnipotente
Si risente il mondo informe ;
Mille spirti, e mille forme
Fanno adorno il cielo, e il suol.

Ma fra tanti oggetti e tanti
Posti innanti al tuo cospetto,
Nulla appar senza difetto,
Meno splende e Luna e Sol.

E fissando in te le ciglia,
Meraviglia ebber fra loro,
E dicea questo a quel coro
Di celesti abitator:

Chi è costei, che vince, e imbruna
Sole e Luna, e Aurora abbaglia ?
Sembra esercito in battaglia,
A cui ceda ogni valor.

Giunge alfine il dì bramato,
E in agguato aspetta, e osserva ;
Ma di renderti sua serva
Tenta invan l' oste infernal.

Onde a vista di sì pura
Crëatura Adamo istesso
Obbliò d' aver commesso,
Sconsigliato !, il primo mal.

Pur l' antica Genitrice,
Che infelice ha reso l' uomo,
Se delusa al fatal pomo
Non stendea l' incauta man,

Or d' Averno entro le porte
Saria Morte avvinta e chiusa;
Ma saresti ancor confusa
Forse tu col germe uman.

Talun forse in suo pensiero
Contro il vero entrò in contesa,
Che finora un' alma illesa
Dalla colpa non andò;

E che quei, che il tutto regge,
Dalla legge universale
Te neppur, come mortale,
Donna eccelsa, preservò.

Certo ah fu d' eterno sdegno
Chiaro segno il grave editto,
Ma degli uomini fu scritto
Per ognun, ma non per te.

Che soffrisse il divin Figlio
Te in periglio un solo istante,
Sua nemica e Madre amante,
No, possibile non è.

Ma di dubbio omai disgombra
Anche un' ombra ogni alma pia:
È di fe', che tu, Maria,
Vinci il giglio nel candor.

Sì; di PIO suonò la voce,
Che veloce il mondo scorse:
È di fe', che non ti morse
Mai l' antico seduttor.

Tuo candore intatto e puro
Raffiguro in ogni arcano,
Che da' Cigni del Giordano
Già per te s' immaginò.

Io nel Fonte, ch' è segnato,
Nel serrato Orto ridente,
Fuorchè te da macchia esente
Altro fingere non so.

Salva l' Arca in mezzo al flutto,
Vello asciutto al molle nembo,
Rovo illeso al foco in grembo,
Lucid' Astro mattutin;

Palme, Cedri, Olive e Rose,
Cifre ascose un giorno a noi,
Il miglior de' pregi tuoi
Fan palese al mondo alfin.

O del cielo, intatta e bella
Verginella, onore e vanto,
In cui solo il re del pianto
Mai non ebbe alcun poter;

Deh! c' impetra all' ore estreme,
Sola speme tu de' rei,
Pari il fin de' giorni miei
All' istante tuo primier.

VOTI A MARIA VERGINE IMMACOLATA

CANZONETTA.

Salve, o fra quante furono,
Vergine al ciel diletta;
